

## **G. BRESCIA - LINGUA E LETTERATURA LATINA 2021/22**

### **1) Livio, *Ab urbe condita*, I**

[57] [1] Ardeam Rutuli habebant, gens, ut in ea regione atque in ea aetate, divitiis praepollens; eaque ipsa causa belli fuit, quod rex Romanus cum ipse ditari, exhaustus magnificentia publicorum operum, tum praeda delenire popularium animos studebat, [2] praeter aliam superbiam regno infestos etiam quod se in fabrorum ministeriis ac servili tam diu habitos opere ab rege indignabantur. [3] Temptata res est, si primo impetu capi Ardea posset: ubi id parum processit, obsidione munitionibusque coepti premi hostes. [4] In his stativis, ut fit longo magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant, primoribus tamen magis quam militibus; [5] regii quidem iuvenes interdum otium conviviis comisationibusque inter se terebant. [6] Forte potantibus his apud Sex. Tarquinium, ubi et Collatinus cenabat Tarquinius, Egeri filius, incidit de uxoribus mentio. Suam quisque laudare miris modis; [7] inde certamine accenso Collatinus negat verbis opus esse; paucis id quidem horis posse sciri quantum ceteris praestet Lucretia sua. "Quin, si vigor iuventae inest, concendimus equos invisimusque praesentes nostrarum ingenia? Id cuique spectatissimum sit quod necopinato viri adventu occurrit oculis." [8] Incaluerant vino; "Age sane" omnes; citatis equis avolant Romam. Quo cum primis se intendentibus tenebris pervenissent, pergunt inde Collatiam, [9] ubi Lucretiam haudquaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant tempus terentes sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas in medio aedium sedentem inveniunt. [10] Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. Adveniens vir Tarquiniique excepti benigne; victor maritus comiter invitat regios iuvenes. Ibi Sex. Tarquinium mala libido Lucretiae per vim stuprandae capit; cum forma tum spectata castitas incitat. [11] Et tum quidem ab nocturno iuvenali ludo in castra redeunt.

[58] [1] Paucis interiectis diebus Sex. Tarquinius inscio Collatino cum comite uno Collatiam venit. [2] Ubi exceptus benigne ab ignaris consilii cum post cenam in hospitale cubiculum deductus esset, amore ardens, postquam satis tuta circa sopitique omnes videbantur, stricto gladio ad dormientem Lucretiam venit sinistraque manu mulieris pectore oppresso "Tace, Lucretia" inquit; "Sex. Tarquinius sum; ferrum in manu est; moriere, si emiseris vocem." [3] Cum pavida ex somno mulier nullam opem, prope mortem imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem, orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem animum. [4] Ubi obstinatam videbat §et ne mortis quidem metu inclinari, addit ad metum dedecus: cum mortua iugulatum servum nudum positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. [5] Quo terrore cum vicisset obstinatam pudicitiam velut vi victrix libido, profectusque inde Tarquinius ferox expugnato decore muliebri esset, Lucretia maesta tanto malo nuntium Romam eundem ad patrem Ardeamque ad virum mittit, ut cum singulis fidelibus amicis veniant; ita facto maturatoque opus esse; rem atrocem incidisse. [6] Sp. Lucretius cum P. Valerio Volesi filio, Collatinus cum L. Junio Bruto venit, cum quo forte Romam rediens ab nuntio uxoris erat conventus. Lucretiam sedentem maestam in cubiculo inveniunt. [7] Adventu suorum lacrimae obortae, querentique viro "Satin salve?" "Minime" inquit; "quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia? Vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo; ceterum corpus est tantum violatum, animus insonis; mors testis erit. Sed date dexteras fidemque haud impune adultero fore. [8] Sex. est Tarquinius qui hostis pro hospite priore nocte vi armatus mihi sibique, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium." [9] Dant ordine omnes fidem; consolantur aegram animi avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti: mentem peccare, non corpus, et unde consilium afuerit culpam abesse. [10] "Vos" inquit "uideritis quid illi debeatur: ego me etsi peccato absolvo, suppicio non libero; nec ulla deinde impudica Lucretiae exemplo vivet." [11] Cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit, prolapsaque in volnus moribunda cecidit. [12] Conclamat vir paterque.

[59] [1] Brutus illis luctu occupatis cultrum ex volnere Lucretiae extractum, manantem cruento prae se tenens, "Per hunc" inquit "castissimum ante regiam iniuriam sanguinem

iuro, vosque, di, testes facio me L. Tarquinium Superbum cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe ferro igni quacumque dehinc vi possim exsecuturum, nec illos nec alium quemquam regnare Romae passurum." [2] Cultrum deinde Collatino tradit, inde Lucretio ac Valerio, stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium. Ut praeceptum erat iurant; totique ab luctu versi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem.

**2) Ovidio, *Fasti* II, 721-852**

cingitur interea Romanis Ardea signis,  
et patitur longas obsidione moras.

dum vacat et metuunt hostes committere pugnam,  
luditur in castris, otia miles agit.

Tarquinius iuvenis socios dapibusque meroque  
accipit; ex illis rege creatus ait:

725

'dum nos sollicitos pigro tenet Ardea bello,  
nec sinit ad patrios arma referre deos,  
ecquid in officio torus est socialis? et ecquid  
coniugibus nostris mutua cura sumus?'

730

quisque suam laudat: studiis certamina crescunt,  
et fervet multo linguaque corque mero.

surgit cui dederat clarum Collatia nomen:  
'non opus est verbis, credite rebus' ait.

'nox superest: tollamur equis Urbemque petamus';

735

dicta placent, frenis impediuntur equi.

pertulerant dominos. regalia protinus illi

tecta petunt: custos in fore nullus erat.

ecce nurum regis fusis per colla coronis

740

inveniunt posito pervigilare mero.  
inde cito passu petitur Lucretia, cuius  
ante torum calathi lanaque mollis erat.  
lumen ad exiguum famulae data pensa trahebant;  
inter quas tenui sic ait illa sono:  
'mittenda est domino (nunc, nunc properate, puellae) 745  
quamprimum nostra facta lacerna manu.  
quid tamen auditis (nam plura audire potestis)?  
quantum de bello dicitur esse super?  
postmodo victa cades: melioribus, Ardea, restas,  
improba, quae nostros cogis abesse viros. 750  
sint tantum reduces. sed enim temerarius ille  
est meus, et stricto qualibet ense ruit.  
mens abit et morior, quotiens pugnantis imago  
me subit, et gelidum pectora frigus habet.'  
desinit in lacrimas inceptaque fila remisit, 755  
in gremio voltum depositque suum.  
hoc ipsum decuit: lacrimae decuere pudicam,  
et facies animo dignaque parque fuit.  
'pone metum, veni' coniunx ait; illa revixit,  
deque viri collo dulce pependit onus. 760  
interea iuvenis furiales regius ignes  
concipit, et caeco raptus amore furit.  
forma placet niveusque color flavique capilli  
quiique aderat nulla factus ab arte decor:  
verba placent et vox et quod corrumpere non est; 765  
quoque minor spes est, hoc magis ille cupid.  
iam dederat cantus lucis praenuntius ales,  
cum referunt iuvenes in sua castra pedem.

carpitur attonitos absentis imagine sensus  
ille; recordanti plura magisque placent. 770  
sic sedit, sic culta fuit, sic stamina nevit,  
innectae collo sic iacuere comae,  
hos habuit voltus, haec illi verba fuerunt,  
hic color, haec facies, hic decor oris erat.  
ut solet a magno fluctus languescere flatu, 775  
sed tamen a vento, qui fuit, unda tumet,  
sic, quamvis aberat placitae praesentia formae,  
quem dederat praesens forma, manebat amor.  
ardet, et iniusti stimulis agitatus amoris  
comparat indigno vimque metumque toro. 780  
'exitus in dubio est: audebimus ultima' dixit:  
'viderit! audentes forsque deusque iuvat.  
cepimus audendo Gabios quoque.' talia fatus  
ense latus cinxit tergaque pressit equi.  
accipit aerata iuvenem Collatia porta, 785  
condere iam voltus sole parante suos.  
hostis ut hospes init penetralia Collatini:  
comiter excipitur; sanguine iunctus erat.  
quantum animis erroris inest! parat inscia rerum  
infelix epulas hostibus illa suis. 790  
functus erat dapibus: poscunt sua tempora somnum;  
nox erat, et tota lumina nulla domo.  
surgit et aurata vagina liberat ensem  
et venit in thalamos, nupta pudica, tuos;  
utque torum pressit, 'ferrum, Lucretia, mecum est' 795  
natus ait regis, 'Tarquiniusque loquor.'  
illa nihil, neque enim vocem viresque loquendi

aut aliquid toto pectore mentis habet;  
sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relictis  
parva sub infesto cum iacet agna lupo. 800  
quid faciat? pugnet? vincetur femina pugnans.  
clamet? at in dextra, qui vetet, ensis erat.  
effugiat? positis urguntur pectora palmis,  
tum primum externa pectora tacta manu.  
instat amans hostis precibus pretioque minisque: 805  
nec prece nec pretio nec movet ille minis.  
'nil agis: eripiam' dixit 'per crimina vitam:  
falsus adulterii testis adulter ero:  
interimam famulum, cum quo deprensa fereris.'  
succubuit famae victa puella metu. 810  
quid, victor, gaudes? haec te victoria perdet.  
heu quanto regnis nox stetit una tuis!  
iamque erat orta dies: passis sedet illa capillis,  
ut solet ad nati mater itura rogum,  
grandaevumque patrem fido cum coniuge castris 815  
evocat: et posita venit uterque mora.  
utque vident habitum, quae luctus causa, requirunt,  
cui paret exsequias, quoque sit icta malo.  
illa diu reticet pudibundaque celat amictu  
ora: fluunt lacrimae more perennis aquae. 820  
hinc pater, hinc coniunx lacrimas solantur et orant  
indicet et caeco flentque paventque metu.  
ter conata loqui ter destitit, ausaque quarto  
non oculos ideo sustulit illa suos.  
'hoc quoque Tarquinio debebimus? eloquar' inquit, 825  
'eloquar infelix dedecus ipsa meum?'

quaeque potest, narrat; restabant ultima: flevit,  
et matronales erubuere genae.

dant veniam facto genitor coniunxque coactae:

'quam' dixit 'veniam vos datis, ipsa nego.' 830  
nec mora, celato fixit sua pectora ferro,  
et cadit in patrios sanguinulenta pedes.

tum quoque iam moriens ne non procumbat honeste  
respicit: haec etiam cura cadentis erat.

ecce super corpus, communia damna gementes, 835  
obliti decoris virque paterque iacent.

Brutus adest, tandemque animo sua nomina fallit,  
fixaque semanimi corpore tela rapit,  
stillantemque tenens generoso sanguine cultrum  
edidit impavidos ore minante sonos: 840

'per tibi ego hunc iuro fortem castumque cruentum,  
perque tuos manes, qui mihi numen erunt,  
Tarquinium profuga poenas cum stirpe daturum.  
iam satis est virtus dissimulata diu.'

illa iacens ad verba oculos sine lumine movit, 845  
visaque concussa dicta probare coma.  
fertur in exsequias animi matrona virilis  
et secum lacrimas invidiamque trahit.

volnus inane patet: Brutus clamore Quirites  
concitat et regis facta nefanda refert. 850

Tarquinius cum prole fugit: capit annua consul  
iura: dies regnis illa suprema fuit.